

viatores transeuntes, hospites, peregrini, et advenæ? Resp. I. Qui in aliena parochia existens, animo moram longam ibidem non trahendi, moritur, sepeliri debet in sepulcro majorum, vel si non habet, in propria parochia, dummodo illuc commode et sine periculo portari possit, secus vero in parochia loci, ubi decedit. Abbas, in c. i. h. t.; Molina, disp. 214, n. 17; Barbosa, in c. i. h. t.; Pirhing, h. t. n. 8; Sylvester, *7. Sepultura*. q. 8. dict. 2; Van Espen, p. 2. tit. XXVIII. *de Sepult.* cap. III. n. 9. et 10. arg. c. i. h. t. et c. *Is qui*. 3. eod. in 6. ibi: «Is, qui habet domicilium in civitate, vel castro, quando ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua parochiali, vel in ea potius, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debet; dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari.» Ratio prioris partis est, quæ supra n. 12. Ratio posterioris vero, quod videlicet sepeliri debeat in parochia, in qua decedit, casu quo ad sepulcrum majorum, vel propriam parochiam portari nequit, est; quod tunc parochus loci præ cæteris potissimum jus habet: tum quia parochus loci peregrinis administrat sacramenta, arg. c. *de Celebrat. Miss.* tum quia parochus habet fundatam intentionem super omnibus proventibus spiritualibus intra illius parochiam provenientibus, uti bene notat Abbas, loc. cit. n. 4. arg. c. *Pastoralis*. 9. *de His, quæ fiunt a prælat.*

27. *Solvitur instantia.* — Dices cum Bellet, *Disquisit. cleric.* p. 1. *de Cleric. debitore*. § 3. n. 21. Hoc ipso, quod peregrinus in aliena parochia, ubi moritur, percipit sacramenta, censetur sibi ibidem elegerisse sepulturam; ergo ibidem sepeliri debet, etiamsi ad propriam parochiam commode portari posset; cum sepultura electa omnes præcedat per dicta n. 9. Resp. negando ant. utpote militans contra expressum textum c. III. h. t. in 6. Sacramenta enim ibi suscipit, non quod intendat per hoc ibidem eligere sepulturam, sed quia eam aliunde habere nequit, juxta dicta n. 16. Est tamen etiam attendenda consuetudo loci.

28. *Peregrini et advenæ diu alicubi habitantes sepeliuntur in loco, ubi moriuntur. Consuetudo est optima legum interpret.* — Resp. II. Illi, qui alicubi proprium domicilium habentes ad alium locum se conferunt, animo ibi-

dem non quidem perpetuo, sed tantum per aliquod tempus, tandiu tamen permanendi ut quasi domicilium ibi contrahant (quales sunt studiosi, et famuli conductitii) si in tali loco moriuntur, in parochia illius loci sepeliri debent; si aliam sepulturam sibi non eligant. Abbas, loc. cit.; Vallensis, h. t. § 2. n. 4; Molina, disp. 214. n. 18; Pirhing, h. t. n. 7; Van Espen, loc. cit. n. 8. Ratio est, tum quia ratione quasi domicilii ibidem acquirunt parochiam, adeo, ut non tantum sacramentum Eucharistiæ, Pœnitentiæ, et Extremæ Unctionis sed etiam Matrimoni ibidem percipere valeant, ut ex communi docet Sanchez, *de Matrim.* lib. III. disp. 23. n. 12. et 13; tum quia id exigit casuum frequentia, et ordinaria distantia a loco proprii domicilii, ob quam ad evitandos labores, et expensas multa alias prohibita permittuntur, uti multis argumentis Probat Glossa, in c. v. *de In integr. restit.* *7. Locorum distantiam.* Accedit passim recepta consuetudo, quæ non tantum in dubiis est optima legum interpret. I. *Si de*. 37. ff. *de Leg.* sed etiam claræ legi derogat c. fin. *Consuetud.*

29. *Jus sepulturæ de jure communi competit ecclesiæ parochiali.* — Queritur VII. Quibus locis competat jus sepulturæ ad hoc, ut defunctorum cadavera ibidem sepeliri possint, ac debeant? Resp. I. Jus sepulturæ de jure communi competit ecclesiis parochialibus, eorumque cœmeteriis, quæ habent fundatam pro se intentionem, ita ut omnes parochiani ibidem sepeliri, non tantum possint, sed et debeant; nisi probetur, quod defunctus habeat sepulcrum majorum, vel aliam sepulturam sibi elegerit, Abbas, in c. *Certificari*. n. 7 et 8, h. t.; Sylvester, *7. Sepultura*. q. 3; Molina, disp. 214, n. 21. et communis aliorum, arg. c. i. III et x, h. t. c. II, h. t. in 6. Clem. 2. § *Verum*. h. t. juncto can. 1. cau. 13, q. 1. Ratio est supra n. 12, allegata.

30. *Idem fratribus prædicatoribus, et minoribus ex speciali privilegio.* — Resp. II. Ex speciali privilegio juri communi hodie inserto, etiam ecclesiis fratrum prædicatorum, et minorum Sancti Francisci competit jus sepulturæ in tantum, ut omnes ibi sepeliri possint, et debeant (si religiosi consentiant) qui sepulturam ibidem elegerunt. Molina, disp. 214. n. 21; Abbas in c. *Certificari*. 9, h. t. n. 8; Donatus, t. III. trac. X. q. 12; Pirhing, h. t. n. 30; Sannig, h. t. n. 5; Roderiquez, t. III. q. 99 et q. 58. a. 3. et communis aliorum, textu clarò. Clem. *Dudum*. 2. § *Hujus-*

modi. h. t. et Extravag. *Super cathedram*. 2. § *Hujusmodi*. h. t. ubi statuitur, «ut fratres dictorum ordinum in ecclesiis, vel locis suis ubilibet constitutis liberam (ut sequitur) habeant sepulturam; videlicet, quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, et ecclesiis memoratis.» Idem privilegium postea augustinianis, et carmelitis concessum est, ut notat loc. cit. Item etiam aliis religiosis partim per speciale privilegium, per communicationem privilegiorum, Molina, et Pirhing, loc. cit.

31. *Invitis regularibus apud eosdem nemo sepeliri potest.* — Dicitur autem notanter, «Si Religiosi consentiant; quia ipsis invitis, vel sine expressa licentia superioris regularis, nemo potest sepeliri in ecclesia, vel cœmeterio eorum; nec possunt ibidem benedictiones, processiones, et officia mortuorum, exequiæ, aut alia divina peragi, absque dicta superioris licentia. Donatus, p. III. tract. IX. q. 19; Sannig, h. t. cap. v. n. 4. cum communi, et certa aliorum ob clara privilegia ad id a pluribus pontificibus concessa ut a Clemente IV. per Bullam, *Virtute conspicuos*, quæ est quarta constitutio dicti pontificis apud Cherub. et a Julio II. Estque declaratum a Sacra Congregatione teste Bardoni, tom. II. *Constitut.*

32. *Ad eligendam alicubi sepulturam nemo potest induci.* — Ne autem occasione privilegii sepulturæ, seditiones, et scandala oriantur, mutuaque præjudicia sibi invicem causarent clerici sæculares, et religiosi, Bonifacius VIII. c. i. h. t. in 6. «Universis religiosis, et sæcularibus clericis, cujuscunque status, vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ (consequenter sub gravi culpa) districtissime prohibuit, ne aliquos ad vovendum, vel jurandum, vel fide interposita, aut alias promittendum inducant, ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent:» contrafacientes tenentur corpus (si jam est sepultum) cum omnibus proventibus intra decendium restituere sub pœna interdicti, cui ecclesiæ et cœmeteria eorum tandiu subjacent, donec satisfecerint. Electio vero ad hujusmodi inductionem facta, ipso jure est nulla: debentque ita eligentes ibi sepeliri, ubi nulla electione facta, alias de jure sepeliri debuissent, prout ulterius statuitur cit. c. i. h. t. in 6.

33. *Pacta inter superiores locales, et clericos sæculares circa sepulturam observari debent.* —

Idem pontifex c. i. et fin. *de Pactis*. in 6. statuit, ut, si religiosi cum parochio aut clerico alicujus loci specialiter paciscantur, quod privilegio sepulturæ pro ecclesiis et locis suis concessio, ex toto, vel ex parte uti nolint, vel non nisi cum certis circumstantiis, pactum hujusmodi omnino servare debeant; «quanquam aliqui apud eos sepeliri libere elegerint;» prout dicitur cit. c. i. *de Pactis*. in 6. ubi etiam ratio subjungitur illis verbis. «Cum per dictum pactum indulto hujusmodi derogetur:» etsi factum sit sine præcisa et consensu generalis et provincialis, dummodo «a prioribus aut guardianis cum conventuum consilio et assensu sit factum et approbatum;» uti expresse statuitur c. fin. eod. in 6. et notat Molina, loc. cit. n. 22.

34. *Corpus defuncti, qui sepulturam apud regulares elegit, non possunt regulares sine requisitione et præsentia parochi levare, et ad suas ecclesias deferre, nisi parochus requisitus consentire, vel venire recuset.* — Queritur VIII. Quænam observanda circa sepulturam, casu quo quis eam apud regulares eligit? Resp. I. Ante omnia circa hoc attendendam esse consuetudinem loci, et pacta specialiter erecta, juxta dicta num. præced. arg. c. i. et fin. *de Pactis*, in 6. Resp. II. Nullo speciali pacto existente possunt regulares etiam irrequisito ac invito parochio associare corpus defuncti, illudque ad sepulturam comitari: corpus tamen ipsum levare, et ad locum sepulturæ deferre non possunt, nisi prius requisito, et expectato parochio eoque præsentem: vel nisi requisitus consentire, vel præsens esse recuset: tunc enim etiam invito, et absente parochio corpus levare, et ad propriam ecclesiam recto tramite deferre valent. Donatus loc. cit. q. 12; Barbosa, *de Offic. et potest. parochi*. p. III. cap. xxvi. n. 66. et seqq.; Peyr., tom. I. *Privileg. minim.* in constit. 26. Leonis X. § 16. n. 20; Sannig, h. t. cap. v. n. 10 et 11, et hodie communis aliorum. Patet conclusio ex constitutionis X. in concilio Lateran. ubi statuit: «quod Fratres quorumlibet ordinum non possint intrare parochias cum cruce ad levanda corpora defunctorum, qui apud ecclesias eorumdem fratrum suam elegerint sepulturam, nisi prius præmonito, ac requisito, ac recusante parochiali presbytero,» etc. uti refert Roderiq., tom. III. q. 58. a. 3; Donatus, loc. cit. n. 3. Nec juvat fratres, quod subsequentes pontifices de novo concesserint eis privilegium, irrequisito parochio cum cruce

inrandi parochiam ad levanda et deferenda corpora defunctorum, uti loc. cit. bene probat Roderiq. Nam contra est, quod dēno novissima emanarint decreta sac. Congregat. id, quod conclusio dicit, expresse habentia, prout videre est apud Barbosam, loc. cit.; Donat., loc. cit. n. 5, ubi simile decretum per extensum refert in quo ad propositum illa habentur verba: « Declarat, et statuit, quibusvis regularibus, quorumcunque ordinum et congregationum, tam mendicantium, quam non mendicantium existant, nullo modo licere parochias cum cruce processionaliter, aut alias, ad efferenda et levanda defunctorum funera intrare, vel illa levare, et efferre, nisi vocato et expectato proprio defuncti parrocho, eoque ibidem præsente; vel nisi requisitus dissentiat, aut venire expresse recuset, » etc. quod decretum editum est 20 januarii 1604. Simile per extensum refert editum 1639. 14 januarii Brugnoli, tract. XIV. cap. xv.

35. *Non tenentur corpus prius deferre ad ecclesiam parochialem.* — Resp. III. Nec regulares, nec hæredes defuncti cogi possunt ut defuncti corpus prius ab ædibus defuncti ad ecclesiam parochialem deferant, ibique deponant, pro accipienda ultima quasi benedictione et vale a parrocho, et ecclesia; sed possunt regulares, apud quod defunctus sepulturam elegit, recto tramite corpus ab ædibus ad suam ecclesiam deferre, parrocho tamen prius requisito et vocato, eoque præsente qui si requisitus consentire, ac venire nolit, etiam eo absente et invito id facere possunt. Donat., loc. cit. q. 13; Pirh., h. t. n. 34; Roderiq., tom. III. q. 85. a. 21; Sannig, loc. cit.; Barb., loc. cit. n. 56; Lezana, §. *Defunctus* et communis aliorum. Ita enim expresse declaravit Sixtus IV. uti per extensum videre est apud Roderiq., loc. cit.; Donatum, loc. cit.; Lezanum, loc. cit. qui duo ultimi plura quoque per extensum referunt decreta sac. Congregationis pro conclusione, edita. In quibus tamen etiam illud habetur, quod ad parrochum loci spectet, cadaver in ædibus defuncti benedicere, et ultimum *Vale* dicere *Aussegnen*; si vero venire recuset, liberum est regularibus corpus levare, et ad sepulturam electam deferre: casu quo autem consentientibus et volentibus hæredibus corpus prius ad ecclesiam parochialem deferretur, ibique deponeretur, nihil propterea debetur parrocho præter alia jura parochialia, uti expresse declaravit sac. Congregatio apud

Barbosam, loc. cit. n. 72. ut proin attendenda non sit doctrina contraria a Van Espen, p. II, tit. XXXVIII. n. 12 et 13, absque fundamento posita.

36. *Exequias, et actum sepulturæ peragunt religiosi, non parochus loci.* — Resp. IV. Dum deferatur corpus ad sepulcrum, non deferatur crax parochialis ecclesiæ, sed illius ecclesiæ, in qua sepelitur, Barbosa, loc. cit. n. 78. citans sac. Congregationis decreta duo. Lezana, loc. cit. n. 78. Potest tamen parochus loci etiam cum stola funus comitari usque ad ecclesiam regularium, ac etiam illam intrare ibique permanere, nullo modo tamen se immiscere in actu sepulturæ, vel officia defunctorum peragere, aut preces, vel Psalmos publice recitare, quoniam omnia hæc ab ipsis fratribus fieri debent; prout allegatis pluribus decretis sac. Congregationis docet Barbosa, loc. cit. a. n. 76. et habent decreta tum a Lezana tum a Donato per extensum allegata, et inserta cuidam decreto auditoris cameræ pariter per extensum apud citatos doctores relato; ubi vide.

37. *Regulares, communitates comitantes funus debent prius ad ecclesiam parochialem peragere, et inde simul cum clero ad domum defuncti.* — Resp. V. Penes hæredes est, an, et quot sacerdotes, aut religiosos, vel confraternitates pro comitando funere vocare; item an, et quot cereos dividere velint. Barbosa, loc. cit. n. 57. ex decreto sac. Congregationis ibidem relato: vocati autem regulares, si comparere volunt, debent se omnes prius conferre ad ecclesiam parochialem defuncti, indeque cum parrocho, et clero pergere ad ædes defuncti; nec licet eis neglecta ecclesia parochiali statim ad domum defuncti accedere vel alibi, donec se immisceant, expectare. Barbosa, loc. cit. n. 62. per plura decreta ibidem allegata.

38. *Hæredes non tenentur curare officia, et missas fieri in ecclesia parochiali, casu quo apud regulares est sepultura.* — Resp. VI. Hæredes defuncti nullatenus cogi possunt, ut præter officia, et missas, quæ in ecclesia regularium, apud quos defunctus elegit sepulturam, in exequiis juxta dicta n. 36. celebrari faciant; Donatus, loc. cit. p. 17; Portel, in *Respons.* p. 2. casu 12; Lezana, et alii, post declarationem ac decretum sac. Congregationis apud Donatum, loc. cit. Ratio est libertas sepulturæ, quam regulares habent, Clem. *Dudum.* h. t. Quæ libertas nimium læderetur, si hæredes cogi possent ad dupli-

canda officia et missas; sic enim absterrentur ab eligendo sepulturam apud regulares, ut consideranti patet.

§ II.

DE ELECTIONE SEPULTURÆ, AC PORTIONE CANONICA: UBI ETIAM DE EO, QUOD PETI ET ACCIPI POTEST PRO SEPULTURA.

39. *Eligere sepulturam quilibet sibi potest, etiam uxor et filiusfamilias.* — Queritur I. Quinam, et ubi eligere sibi possint sepulturam? Resp. I. Omnes et singuli pro libitu eligere sibi possunt sepulturam, a jure specialiter non est prohibitum. Est communis ac certa, textu claro c. 1. h. t. ibi: « Nulli negamus propriam eligere sepulturam, vel alienam. » Rationis loco subjungitur exemplum Christi illis verbis: « Dominus enim et magister alienam elegit, ut propriam. » Etiam uxori competit hæc facultas textu expresso c. *De uxore.* 7. h. t. ubi dicitur, « quod nulla super hoc inter virum et mulierem sit facienda distinctio. » Ratio additur, « cum electio ista ad eum potius statum pertineat, in quo mulier solvitur a lege viri. » Item licet filiusfamilias pro anima sua nullam circa temporalia non castrensia facere possit dispositionem ultimam, tamen absque patris consensu sibi potest libere eligere sepulturam, c. *Licet.* 4. h. t. in 6. Ratio est, quia quoad jura spiritualia, quale est etiam jus sepulturæ can. *Quæst.* 12. cau. 13. q. 2. filiusfamilias patris potestati subjectus non est.

40. *In quovis loco religioso, etiam in privata capella.* — Resp. II. Habentes jus eligendi sepulturam possunt sibi in quovis loco religioso eligere, etiamsi alias eisdem jus sepulturæ non competat, qualis est capella, vel alia Ecclesia sepulturam non habens, et in qua raro celebrantur Missæ. Abbas, in c. 1. h. t. n. fin. ad fin.; Gonzalez, ibid. n. 9; Pirhing, h. t. n. 17. et alii apud Fagnanum, in cit. c. III. h. t. n. 1. arg. cit. c. 1. h. t. et c. II. § *Si quis.* h. t. in 6. ibi: « Si quis antiqua dimissa novam etiam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem hujusmodi (licet jura super hoc videantur esse diversa) nequaquam volumus impugnari » et ibi Glossa in casu. Nec obstat c. *Fraternitatem.* 3. h. t. ubi sepultura « in loco minus religioso » electa expresse reprobat. Nam contra est, quod in hoc textu per « locum minus religioso » electa expresse reproba-

tur. Nam contra est, quod in hoc textu per « locum minus religiosum » intelligatur vel locus omnino profanus, vel si aliquo modo religiosus, tamen irrationabiliter et malitiose, vel non soluta portione canonica Ecclesiæ parochiali electus: in c. II. h. t. in 6. vero per locum minus religiosum intelligatur talis locus, qui religiosus quidem est, tamen minus frequenter officia divina, Missæ, aut publicæ orationes fiunt, uti cum doctoribus citatis bene docet Glossa, in cit. cap. II. h. t. in casu: quæ vel ideo recipienda, quia sic evitatur jurium correctio. Notat tamen ibidem Glossa, melius et utilius esse, sepulturam in magis religioso loco eligere, præsertim in tali, « ubi orationes et Missarum solemnitas tam pro vivis, quam pro defunctis frequentius celebrantur, » c. III. h. t. Ratio est, tum quia ibi sepulti plus de piis operibus participant: tum quis eorumdem ob populum ibidem magis concurrentem frequentior fit memoria, uti cum Glossa, cit. notat Fagnanus, in 3. h. t. et doctores communiter. Hic iterum in memoriam revocanda sunt dicta supra n. 32. ne aliquis ad eligendam alicubi sepulturam inducatur, arg. c. 1. h. t. in 6.

41. *Impuberes prohibentur sibi eligere sepulturam: parentes eorum loco eligunt.* — Resp. III. Sepulturam sibi eligere a jure prohibentur sequentes I. Impuberes cit. c. *Licet.* 4. h. t. in 6. ibi: « Nequeunt antequam ad annos pubertatis pervenerint, eligere sepulturam. » Conceditur tamen ibidem, quod « pater (si consuetudo terræ id habeat) quo voluerit, impuberem possit sepelire: hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed cum suis majoribus, vel in parochiali Ecclesia sunt tumulandi. » Quæ ultima verba juxta ordinem scripturæ, non in sensu diviso sunt intelligenda, ita quod absente consuetudine non possit pater pro libitu sepelire impuberem, vel in sepultura majorum, vel in parochia propria, sed quod debeat illum necessario in sepultura majorum, si habet, si vero non habet, tunc primum in parochia sepeliri facere, ut bene docet Glossa, in cit. c. *Licet.* 4. h. t. §. *Vel in parochiali;* Ancharanus, ibid. not. 4; Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.* p. III. c. XXVI. ubi affert pro hoc declarationem sac. Congregationis. (ADNOTATIO XXXVIII.)

42. *Religiosi subditi professi non possunt sibi eligere sepulturam, bene tamen prælati supremi.* — Resp. IV. Religiosi subditi professi in